DE

THĖSI

SORTITO PRODITA

AD CATHED. OEC. POL. IN R. STUD. UN. CAPESSENDAM

LECTIUNCULA

A

Vincentio Moreno

ex tempore conscripta.

Tertio Kal. Dec. An. MDCCCXLIV.

MONITUM.

Sine librorum nequaquam lexicorum auxilio—Affectibus undique concitatis—Verecundia quam maxime lacessita—Praefinito ad scribendum decem tantum horarum spatio—En παρασκευην, *quam lex dedit—Praelo autem liberculo prodito sine mendas corrigendi facultate : ita jus est—Scito qui legis.*

THESIS

« **Impensarum naturam et regulas referte —**
» **An luxus industriae prosit vel noceat.** »

PROLEGOMENA.

I.

Cum de impensis decretum est me dicturum esse, quid eae sint primum exquirere operunculae huius pretium sane erit.

Deinde duplicem esse earum indolem, quaque ratione constitutas, quove nomine utrasque nuncupatas esse ostendere oportet.

Deinceps quomodo gubernari sive privatim sive publice debeant, ad finem totius publicae oeconomiae adsequendum, patefaciendum est.

Denique de luxu dicendum.

Quapropter quatuor subsunt capita : in quibus rotundiores de re sententias quidem meas patefaciam, cum in perpetuis adnotationibus auctorum sententias diversas atque monitu digna aliqua referre placeat.

CAPUT PRIMUM

De expensis.

I.

Obsonia, sive merces quae alteri dantur ad aliquid, quodcumque sit, obtinendum, eas, quae dicuntur expensae vel impendia constituunt. At consumptiones, quae apud scriptores aliquos, expensae *συνονιμικε* dictae jam esse videntur, proprie sunt obsoniorum atque mercium usus aut consumationes non ad aliquid obtinendum, sed ad

fruendum, seu possidendum comparatae. * Generis vox *consumptio* profecto est : speciei vero *expensae* sunt.

At hanc veram propriamque non esse definitionem non inficior - Proximo genere enim, ac specifica differentia, uti rethores dicunt, fere omnino caret. Scio equidem : idcirco ad definitionem modo venio.

---

* *Gallici praesertim scriptores neutram ponunt differentiam inter expensas, ab iis* depenses *nuncupatas*, *et consumptionem*, *quam* consommation *vocant*: *immo et uni ex his Ganilio clarissimo viro sed nugarum curiosissimo quasi crimen videtur esse illud*, *quod recte ponunt alii discrimen inter unam et alteram huiusmodi vocem. DellaVallius noster dialoga quaedam* della spesa privata e pubblica *nuper edidit. Videnda sunt.*

II.

Expensae sunt actus, propter quos permutationes consequuntur, scilicet actus, seu habitus dandi rem ad aliam obtinendam.

Omnium fere permutationum in societate civili ac legibus, artibusque firmata pecunia admodum ministra est; * quae etsi tradita cum sit iis, qui res quasdam ad eam accipiendam produnt, vere permutationes perficiat, eius tamen permutationes emptiones et a jureconsultis, et in vulgari sermone nuncupantur, ut perbelle in leg. 1 de cont. empt. dictum est: *origo*

* *Omnium, quas pecuniae definitiones oeconomiae publicae tradiderunt scriptores, perspicua illa est, quam Verrius dedit, affirmante ipso Gioja acerrimi ingenii viro, qui punctunculum, ac vocunculam inconsultam in iis, qui ante eum fuerunt auctores, saeviter corripit. Verrius enim* mercem universalem *pecuniam, aut ut melius dicam, monetam vocat. Merx est quae neque tantum mensura, neque tantum pignus,*

emendi vendendique e permutationibus coepit: et infra: *aliud est merx aliud pretium.*

III.

Quamobrem haud miraris profecto quin vulgo aliud pro impendio accipiatur nisi solutio omnis pecuniae, et proprie monetae ad aliquid obtinendum, idest ad tradendum cuiuscumque rei pretium aut privatim conventum, aut publice constitutum, aut ex concursu publicove consensu praefinitum.

Et huc sane animadvertendum est non tantum vulgum, sed etiam non κακοζηλοι auctores hanc expensarum vocis significationem aeque usurpavisse, quippe quae κατα αυτονομαστιαν vera atque luculenta extat. Nam cum permutationibus omnibus mercium vice

neque tantum signum est secundum Beccariam, Genovesium, Lauderdalium, Stewartium, aliosque, at simul est signum pignus mensura et quidem merx. Inter recentiores scriptores Garnerii, Smithii traductoris, opus de moneta exaratum apprime utile laudandum.

pecunia fungitur omnino ; et rariore accidit casu ut commercia sine pecunia , sive metallica sit, sive chartacea, sive imaginaria, vulgo dicta *moneta di conto*, perficiantur; consequens sane est in spongiam non incubuisse hos Ajaces, qui expensas nuncupaverunt omnem pecuniae , ad comparandum, habendumque aliquid, traditionem.

Cum autem hic de expensis mihi late agere oporteat, et arctiori sensu vocem accipere nefas est: adeo ut, et si minus proprie atque concinne , pro consumptionibus tamen accipiam, ut magis atque magis rem exagitare hac in exigua valeam tempestate. *

---

* *Anglici praesertim scriptores has veluti sacramentales habent voces*, produzione, distribuzione *et* consumo: *gallietiam atque itali hanc, ut ita dicam, τεχνολογιαν adservant: adeo ut Gioja jocose quidem notat plurimos esse, qui has continuo voces agitantes labiis, putant se diu multumque jam de politica occonomia addiscivisse. Vide* Prospetto delle Scienze economiche - *Med. 1817, in volumine, memoria nisi fallor, primo.*

CAPUT ALTERUM.

De expensarum generibus atque indole et de variarum scriptorum sententiarum historia.

IV.

Et primum omnium expensarum res ad dua potissima genera reducenda : expensae enim sunt aut publicae :
aut privatae.

Publicae sunt, quae ad rempublicam adtinent : privatae, quae familiari prosunt rei, sive, ut melius dicam, quae patribusfamiliae a singulis conficiuntur.

V.

Cumque unus tantum reipublicae constitutae finis admodum sit securitas, eas tantum satis superque recte publicas dici expensas, quae ad securitatem tuendam, sartam tectamque rem ad habendam publicam comparantur, nemo dubitat.

VI.

Sed et hae potius administrationis dici possunt expensae, quam ipsius reipublicae, cum populi divitiae nihil aliud sint apud aliquos oeconomia politica benemeritissimos viros, * nisi privatarum opum consummatio, atque conjecturalis collectio. At cum nullo fere modo hae gubernari possint expensae, quippe quae imaginariae incorporeaeque sint, ut infra patebit, hic firmam manere primam quidem definitionem profecto placet, ut argumenta atque scholia, quae subeunt, facile ac sponte promanent, veluti a fontibus.

Publicae ergo expensae sunt quae ad rempublicam regendam plane pertinent.

* *Nescio modo quis veterum auctorum, Aristotelem puto, hanc habet sententiam:* divitiae enim singulorum divitiae sunt civitatis. *Hoc tantum nunc commemorare fas est hanc esse* ἐπιγραφὴν *opusculi Valeriani cujusdam* del prezzo delle cose mercatabili.

VII.

Hanc porro habes expensarum ab oeconomistis partitionem positam : scilicet

1.° producentes ;

2.° atque inproducentes. *

Producentes illae sunt , quae cum confectae sint , aliam ad prodendam rem facile occurrant.

Inproducentes , quae comparatas ob eas res omnino destruere valeant.

---

* *Has non esse proprias, et forsitan neque latinas voces apprime suspicor. Sed , ni memoria fallor, aliae non habentur , quae valeant ad vertendas in latinum italicas illas , quae neque italice recte sunt concinnatae*, produttive ed improduttive. *A grammaticis , qui in literulis quidem diu multumque versaverunt , veniam quamdam peto: a philosophis nullam.*

VIII.

Itali primi, et proprie Bandinus etruscus in opere, quod de senensis conscripsit paludibus, anno MDCCXXXVII, et magno Etruriae duci, nescio an sponte, an lacessitus praebuit, * acriter hoc expensarum patefecit discrimen, agriculturae impendia tantum esse producentia demonstrare conatus.

---

* *Vide opus illud Peckii alacrissimi ingenii viri*, storia dell'economia publica in Italia, *ubi perbelle notatur ausoniam vere dici posse hanc disciplinam ut* ausonias *Ovidius dixit* Kalendas. *Notat enim auctor rei italicae benemerentissimus Scaruffium atque Davanzatium libros de rebus quibusdam oeconomicis seu de monetis conscripsisse, saeculo cadente decimosexto, cum et in exteris regionibus divitiarum publicarum scientiam quamdam esse non suspicabatur: deinde Serrae nostri brutii opus illud anno MDCXIII confectum laudat, et Turbuli neap. editum anno MDCXIX prae omnibus alienigenis auctoribus.*

Sed cum opus ejus non nisi anno MDCC-LXXV in lucem prodivit, ac ordine scientiphico fere nullo, nullaque methodo exaratum fuerit, hujusmodi partitionis honorem tribuendum non esse censeo. Galiano nequaquam nostro praestantissimi atque salebrosi ingenii viro, qui anno aetatis suae fere vigesimoprimo, MDCCL tradidit liberculum, si molem modo spectes, cui titulum dedit *della moneta* honorem illum concedendum existimo: quia totius publicae oeconomiae disciplinae fundamenta vere mirifice stravit, sed passim passimque, Rinuccino, et Interio, uti fertur, consuasoribus, scientiae patefecit elementa quamplurima et fere omnia. Sed et eo quod scientiae necesse est, ligamine, utpote una versatus in re, liber profecto caret. Impendia non omnia esse utilia, et vere proditionem augentia ait, luculenterque more quidem suo probat.

Sed ex professo miraculum illud tum sapientiae, tum ingenii, tum pietatis, Genovesius noster, quem elegantiarum magi-

strum nuncupare vere non dubites, in iis quas perbelle conscripsit anno MDCCLV ineunte, *lezioni di economia civile*, ordine luculentissimo ac perspicuo, quem continuo secutus est, eam expensarum differentiam statuit.

Quesnejus postea eamdem differentiam obumbravit, sed more suo, ceu non ad universam referens industriam, et unum illud cupiens ostendere argumentum, quod sectae potius quam scholae nomen ipsi sectatoribusque suis prodere fecit.

Hae tamen semper Italiae nostrae fortunae vices fuerunt, ut cum Quesnejus in Gallia, ubi Lodovici decimiquinti regis medicus extiterat, librum edidisset suum anno MDCCLVIII, scilicet post Galianum, Bellonium, Genovesium, et paulo ante Beccariam, pater tamen oeconomiae publicae salutatus *απο την αυτονομασιαν* dictus *oeconomista*, discipulique ejus enciclopediam elaborantes, *oeconomistae* adpellati sunt. Et quam parum hoc tanto meruissent nomine,

ab eo sane ostenditur, ut illam expensarum differentiam, quam Genovesius ordine tam notavit perspicuo, ii non secus notaverunt quam ut ex ea unam agriculturam, agrariasque expensas producentes vere esse trahere potuissent. Error sane turpissimus, qui e philosophis in gladiatores atque monomaniachos summos viros mutavit! *

---

* *Tria enim oeconomiae politicae systhemata*, mercatorium, agrarium, *et* industriale *fuerunt: quorum primum in auro et argento posuit divitias, alterum in una tellure, tertium in labore uno. Omnia quidem non recte. Primi Serra auctor laudatur sed male: imo Serra luculenter probavit errorem vulgi esse auri et argenti copiam divitias esse: secundi Quesnejo adponitur hominos, nec invideo: etsi Bandinus agriculturam hactenus adspernatam defendit: tertium Smithio tribuitur; sed partitionem laboris, maximum eius conceptum, prius a Beccaria nostro fuit enucleatum. Notandum modo est, quod cum Sully agriculturam fovebat, systhema* mercatorium *viguit: cum Colbertus mercaturam praemiis lacessivit, systhema* agricola *inventum: et cum opes an-*

IX.

Extitit et Smithius anno MDCCLXXVI: hunc in primis abjectum*, atque fere adspernatum postea fama, quae vires acquirit eundo, vere patrem atque fundatorem ejus, qua hodie utimur, scientiae renuntiavit atque adhuc apud quosdam alienigenas, patriosque scriptores renuntiare conatur. Smithius dixit non tantum expensas, sed

glicae ad bella prosequenda fuerunt comparatae, industriale *systhema, quod pacem apprime poscit, laudatum. Quod enim ad Italiae gloriam augendam valet hoc est, ut hujus nostrae peninsulae ingenia non a praesentibus, ut vulgi mos est, periculis deterrita, sed meracem veritatis atque rationis lucem sequti, nullum privative systhematum monopolium arripuerunt. Illa enim tempestate, qua Smithius conscripsit, Paolettius noster in libro, quem anno edidit MDCCLXIX audaciter, si tempora spectes, ignorantiam unam esse gentium perniciem, atque egestatis caussam proclamavit.*

cives esse in plures ordines dividendos: nempe esse veluti collegia et corpora (*classi* voce nec itàlica neque alienigena apud nos dicta) hominum *producentium* et *improducentiüm*: quasi civitates atque imperia, quae vice humani corporis funguntur, vere essent aut centuriae; aut legiones oeconomicae! Ita ut posset ea in agmina dividi diversa; unum nempe producentium, alterum consumentium, tertium dividentium divitias, et omnia privative! Ipsum autem se ducem hujus mirae cohortis factitabat!

Quod, si ex bono et aequo arbitrari malueris, ita accipe; ut hominum expensae omnes in producentes et improducentes dispescendae sint.

X.

Enimvero cum ita dicas, non Smithii, sed Beccariae mediolanensis viri doctissimi, qui anno floruit MDCCLXIV, sententiam amplexeris: neque Beccaria tantum Smithio praecessit, sed et Beccariae adversarius,

etsi familiarissimus amicusque ejus extitisset Comes P. Verrius, mediol. atque Turgotius, Dupontius, galli, Sodenius alamannicus, aliique, quibus brevitatis gratia taceo, et expensarum differentiam iam notatam posuerunt.

XI.

Quam differentiam apprime sequuti sunt omnes fere scriptores hodierni tam exteri, quam nostri, quos adnotatiuncula hic submissa ostendit. *

---

* *Pone in primis Say gallum in* tractatu, *quem edidit anno MDCCCXV, et in* Cursu practico, *quem ed. an. MDCCCXXVIII: adde et Storckium Russiarum principum praeceptorem, in* cursu *ed. anno MDCCCXV et cum adn. Say Parisiis rursum an. MDCCCXXVI. Et memorare juvat Cagnatium neap. Giojam med. Agazinum med. Ganilium gall. Lotzum, Kraussum, Iacobum, Poelitium, alaman. Richardum, Millium, Macculłochium, Seniorum, angl. Florez de Estrada, Mignanum, Pebrerum hi-*

XII.

His itaque praemissis quae ad rei histostoriam adtinent, ut de diverticulo in viam tandem redeam, videndum modo est quo jure haec producentium ac inproducentium expensarum divisionem sequendam esse egomet arbitrer. Accipe ergo hanc meam de ea re, quaecumque sit, sententiam.

Quod oeconomiae politicae disciplina Smi-

---

sp. qui omnes hujus nostri aevi scriptores expensas in producentes et inproducentes diviserunt. Unus tantum Ortesius venetus, saeculi decimiseptimi praeclarus sane auctor, principia quaedam oeconomica mira profecto atque paradoxalia. prodidit: inter quae hoc adnumerandum esse mihi videtur: non esse in civitatibus consumptores nisi et productores sint: ita ut quot sunt productores tot consumptores oporteat esse et versa vice quot consumptores tot productores. Ex quo colligi debet expensarum nullas esse inproducentes: quae sententia παραδοξον *penitus continet.*

thio debet hoc est: tria illa φενομενα quae in rebuspublicis assidue subsequuntur circa divitias, apprime concinnius quam alii notatu luculentissima exhibuit: quam ejus methodum Sayus etiam atque etiam perpolivit. Et vere tametsi opes industriae ac naturae auxilio consociatarum gignantur, eodemque auxilio inter homines distribuantur, et propter eas, naturam industriamque, consumentur, verum attamen est hanc trium phenomenorum partitionem imaginariam esse: nam neque alii homines producunt, alii distribuunt, alii consumunt divitias: neque temporibus praefinitis aut interjectis tria sequntur phenomena: atqui una productio distributio atque consumptio coeunt, et iidem homines pro sua quisque parte produnt et consumunt.

XIII.

Unde liquet omnes expensas producentes esse, quippe quae, sive necessitatibus sive

delectationibus consumentium hominum provideant, nusquam hominem ad prodendas opes non lacessunt.

XIV.

Id vero privatas respicit expensas: quare quoad publicas haec lacessendi ad novam proditionem potestas iis penitus deest: est enim proditio privatorum seu gentium earumdem indefinita atque immensurabilis; cumque magis atque magis augeatur, divitiae eodem quoque pacto augentur: reipublicae vero praefinita est: produx eius non aliud quam populi dominiorumque securitas est. Quae, cum adepta jam sit omnino, (nequit enim partim adipisci) omnes neoterice confectae expensae nihil vere καλων η κακων prodere valent.

XV.

Quod autem ita intelligendum est ut nihil ex aerario publico ad aliquid, praeter securitatem imperii, gentiumque, populo utilem producem impendi possit; non ut divitias, quae privatorum usui atque commerciis aptae sint prodi nequeant. Hoc recte sane animadvertendum; nam divitiae ut expensae, etiam aut publicae sunt aut privatae; neque intuitu proditorum differunt, sed earum indolis atque naturae: potest enim et privatus publicas prodere opes, et princeps aut quicumque sint reipublicae rectores privatas.

Et anchoram jactandi nunc tempus quidem est. Quod ut utilius faciam συνοψιν adjicio.

Expensae
sive
Consumptio producium
|
publicae aut privatae
|
producentes aut inproducentes

CAPUT TERTIUM

De expensarum sive publicarum sive privatarum regulis.

XVI.

Cum itaque publicarum ac privatarum expensarum duplex natura sit aeque ac duplicem regularum circa eas rationem esse oportere nemini latet.

Securitas, uti dixi supra in §. XIV, produx est reipublicae unus et proprius : innumeri autem produces gentium, hominumque. *

**An produx, vox non quidem perpolita, masculini vel neutri sit generis ad memoriam revocare nunc mihi nefas est. Veniam ergo a grammaticis obsecro, si uti fertur a pedagogis, Prisciano injuriam attuli.*

XVII.

Sed et haec proditionis elementa communia: nempe ut ex capitali (vel capite) * atque ex industria gignatur: nam ut Storchius eleganter ait, omnis proditio ex homine et natura fit: quod et Genovesius et Beccaria pluribus atque verbis ediderunt. Homo industria et capitale (quod ex mea quidem sententia divitia est ad aliam gignendam apta, seu ut a Galiano atque Smithio et Sayo dicitur *accumulata divitia*) adjuvantibus consociatisque naturam regit, aut adjiciendo illius vi foecunditatique vires atque subsidia; aut vim (ut aliqui hodierni phisicae docti dicunt) *inertiae* excitando viribus ingenii atque corporis. Natura vires hominis adiuvando aut sponte illi fructus aut

* Caput *proprie dicta est ea pecuniae summa, quae usuras parit: jurisconsulti et* sortem *adpellant. Sed hic usurpatur passim pro eo quod italice dicitur* capitale, *hispanicè atque gallice* capital.

unam feracitatem, aliasque latentes servatasque eius praebendo divitias.

Ita uterque proditioni aeque ac necessario conjunctim dant operam.

XVIII.

At cum natura in rebus praesertim consistat corporeis, quas praecipuas hominum societas statim ac efformatur privatorum in dominio ponit, perspicuum sane est coniungi non posse naturae viribus vires humanas, nisi et corporeae illae res industriae subsint. En *capital*, quod primum comparare oportet, naturales res sive terrae sint, sive telluris aut maris fructus, ut proditio fiat: ita ut hic recte illud notissimum repetendum

« Da ubi consistam et coelum terramque movebo ».

XIX.

Haud equidem nescio tellurem aliaque similia, quae naturales dicuntur res, ab oeconomistis nunquam esse capitalia nuncupata: quippe quod hi proditionem ex capitalibus, tellure, ac industria fieri arbitrati sunt: sed ex mea, quaecumque sit, sententia, tellus ipsa capital est, atque omnia quae *materiae primae* ab Aristotele ipso, et ab omnibus oeconomiae publicae scriptoribus recentioribus nuncupantur, sunt et capitalia.

XX.

Natura autem et capitalibus ejus intrinsecam et fere ingenitam potestatem edendi aliquid praebet, propter ea, quae in antiquiore cosmographia *elementa* vocabantur.

Homo labore naturam ad prodendum et lacessit et adjuvat: labosque hominis capital est. Et labori non modo corpus, sed et ingenium operam aeque dat: ita ut habitus

ille hominis tum ingenii tum corporis industria est. Industria ergo nihil aliud quam homo est.

Recte igitur dixeris haec duo esse proditionis auctores naturam atque hominem, scilicet naturam atque industriam.

XXI.

At non aequa sane ratione haec duo proditionis elementa conjuncta atque consociata videntur. Sunt enim produces, qui magis naturae quam industriae appetunt adjumenta: sunt qui industriae magis quam naturae. Quapropter recentiores, praesertim gallici, scriptores, et ille, quem laudavi, Storchius produces aut *naturales* aut *industriales* dixerunt: non ideo quod alteri sine industriae alteri sine naturae auxilio obtinentur; sed quod in alteris potius industria quam natura, in alteris natura potius quam industria praevaluit.

XXII.

Cum enim uti dominia telluris atque omnium corporalium rerum inter homines divisa, etiam et vires tam corporis, quam ingenii divisae inter personas ostenduntur; quod divisum est, ut prodat, consociari par est.

XXIII.

Haec ergo laboris ac rerum naturalium consociatio ab homine fit, sive ab hominis industria omnigena; quae in quatuor dividitur species. Est enim

1.° *manufaciens*, quae italice dicitur *manofattrice*, et *agraria* aut opifex est:

2.° *mercatoria*:

3.° *intellectualis*:

4.° *legumlatrix*.

XXIV.

Quarum omnium tres ad privatos spectant; una tantum postrema reipublicae propria. Non adeo ut respublica sive imperia, atque eorum rectores ac principes tribus aliis dare operam nequeant: sed non publice, privatim vero tunc agunt: atque privatarum expensarum regulas tunc sequi debent.

Sed omnes industriae capitalibus penitus carentes nullo modo consistere queunt. Nam et omnes cum eis materiae primae, atque labos, scilicet capitalia, desint, nullam prodendi vim habent.

XXV.

Haec itaque regula de expensis omnibus sponte manat: *quae ad capitalia obtinenda comparatae sunt expensae, faciendae.*

XXVI.

Sed, ut supra dixi, proditio privatorum immensurabilis est, rerum publicarum proditio praefinita, quod infra demonstrabo: patet ergo aliquid videri in proditione reipublicae inesse, quod et capitalium admodum usus circumclaudit. Quidquid hoc sit, paucis exibebo, utpote parum mihi temporis subest.

XXVII.

Securitas populi dominiorumque reipublicae atque imperii finis est. Ejus ergo expensas ad hanc securitatem obtinendam comparare necesse est: hic enim est reipublicae produx unus.

XXVIII.

Industriae autem legumlatricis haec sunt capitalia. Ingenii opus quod dirigat, armorum vis quae tueatur, ac defendat. Unde

et cum tanta sit hominum copia, quorum labor ad dirigendam tuendamque animo et corpore rempublicam sive religioso, sive quaestorio, sive praetorio, sive militari, quae satis sunt, officiis, proditio perfecta est, neque augeri oportet.

XXIX.

Agedum ex his facile patet capitalibus proditionis suae non egere rempublicam nisi cum securitati, quae certos habet denique fines, haud sufficiant capitalia.

XXX.

Industriae porro manufacientis, atque intellectualis, produces tot sunt quot merces atque obsonia, quae hominum adpetendi libido, egestates, delectationum cupiditas assidue quaerunt: delectationes autem, atque commoditates omniaque alia, quaeque sunt, desideria civilis societatis necessitates recte

dici possunt, sicuti naturales et fere barbarae societates nihil aliud nisi bona adpetunt naturalia: sed *natura hominum*, uti Plinius dixit, *est novitatis avida*: adeo ut cum paullatim de statu naturali ad civilem societas pertranseat atque progrediatur, magis atque magis cupere obsonia videtur atque merces.

Sed cum neque merces, neque obsonia omnia ab una prodi possunt gente, neque ab imperii unius, neque unius civitatis ab incolis, neque familia ab una; en et industria *mercatoria* ad permutandos, ac transferendos produces comparata; quae et ab iis, qui quaedam obsonia aut quasdam produnt merces, plus quam eis necesse sint accipit, ut iis, qui adpetant, ferat; alteris dans alias merces, quibus egent, alteris alias.

XXXI.

Capitalibus ergo privatorum industria numquam saturatur, quia numquam homines adpetendi, numquam permutandi, numquam prodendi animo desunt.

His itaque praemissis regula in duas subdividi oportet; quarum una expensas respicit publicas, altera privatas.

Hae sunt.

Privatae expensae numquam satis sunt.

Publicae maxime.

Ratio est quia privatae capitalia semper comparant: publicae minime.

Quod ne παραδοξον videretur facilius explebo.

XXXII.

Capital, uti dixi, est aut divitiarum accumulatio secundum Galianum primum definientem; aut divitia ad gignendum aliam penitus apta, secundum id quod mihi verius videtur.

Divitia est quodcumque egestatibus providet: nam egestas est omne desiderium sive naturale sive civile sit.

Quocumque autem modo privatus expensas faciat suas, divitias comparat: quae et aliam semper produnt, quia satisfactionem aut corporis eius, aut animi ferunt: adeo ut aut corpus, quod naturali quadam urgebat egestate, fortius extet; aut animus naturali aut civili affectus libidine vehementius exsurget.

Et quoniam divitiarum publicarum omnium homo sane maxima est, nullo pacto homo adiuvari potest sine industriae miro ac evidentissimo adjumento.

XXXIII.

Nullae autem expensae minus utiles videntur quam quae tantum humani sive corporis sive animi vires respiciunt: hae profecto sunt quas inproducentes vocant et plane damnant oeconomistae.

Huiusmodi sunt quae luxuries propria voce dicuntur, et in quibus in quarto, quod subest capite, versabo.

CAPUT QUARTUM

De luxu, eiusque commodis et periculis.

Vetus haec quaestio de luxu est : nulla enim sunt oeconomiae politicae instituta, quae hanc non pertractent rem. Neque miraris profecto: quia hae scientiarum omnium vices sunt, ut quae frequentiora in usu sunt vel accidunt, doctis viris praebuntur prae aliis pertractanda.

Genovesius noster hoc dixit: prius luxum definiri oportere, ut facile ea, quae proposita est nunc mihi, quaestio absolvatur. Sane rectissime more suo : nam diversae, quas protulerunt de ea re auctores, sententiae hoc propter unum divertere videntur, incertam luxus definitionem.

XXXIV.

Vulgus enim luxuriem appellat omnes eas expensas, quae non ad egestates ex natura satisfaciendas, neque ad civiles, sed ad id, quod vanitates dicunt, comparantur.

Inde etiam vulgo minime notum ubi luxus videatur inesse ubi non: quia expensae illae, quae voluptuosae uni sunt, alteri sunt quidem necessariae.

Coenarum, exempli gratia, quas miles parat commilitibus suis, expensae luxuosae sunt: ita ut urgere luxu militem dicitur: quod legatus Principis alicujus propter eamdem expendit rem, luxus non dicitur.

XXXV.

Ex quibus nemini modo latet luxuriei conceptum fere inane esse: nam quod luxus est aliquo in loco, aliquo in tempore, aliquibus in personis, in aliis quidem luxus non est. Adeo ut cum de re agitur

publica, ac minime expungi potest quod accepti vel expensi in privatorum tabulis refertur, luxuriei quae indicia sint nescitur.

Quid est ergo luxus, ut quaestionem propositam penitus absolvam? Non est qui dicat: imo primum hoc quaerendum est.

XXXVI.

At cum quidquid de eo dicere oporteat, dicam luxuriem esse ita expensas facere suas, ut capital, nempe divitiae quae ad alias prodendas aptae sunt, minuantur.

XXXVII.

Ita luxurie definita perspicuum est privatae aeque rei ac publicae eam obnoxiam esse: quia capitalis minutio ei, qui capital pro domino possidet, damnosa.

XXXVIII.

Luxuries autem aut privata est aut publica : quae distinctio perutilis imo necessaria est : utraque in capitalium minutione consistit. Sed altera, quae privatorum capitalia aufert atque minuit notatu oeconomistarum indigna : quia quod uni aufertur a luxu alteri a parsimonia datur ; et publicae sic non minuuntur penitus opes.

Altera autem, quae minuit atque aufert capitalia reipublicae aut imperii, aut securitatem minuit hominum dominiorumque, aut capitalia ab expensis ad securitatem illam firmandam detrahit, aut accepti rationem vehementer acriterque auget, quod et nisi magna populorum jactura fieri non potest.

XXXIX.

Quomodo ergo respublica a privatis accipit? Aut quomodo, ut alias dicam aerarium publicum augetur? Sane non secus quam tributis. Quae et gentibus si quam maxime pergravescent, necessaria tamen videntur et ideo aequo feruntur animo ab iis, qui sciunt tributum esse securitatis, dominiique pretium, quod cives reipublicae solvunt. At cum quaestores ea, quae his tributa est peraeque vis publica, exigere conantur, ut in aerarium publicum inducta atque illata, non ad eas ad quas comparata sunt, expensas faciendas addicuntur sed ad alias longe ac peregre ac toto coelo diversas, procul dubio est luxuriem esse hanc vitandam fugiendamque, ac ab oeconomiae politicae praeceptis damnandam omnimode.

Amplius dicere velim: sed adversariis undique repletis, neque animi modo, neque mentis, sed omnino corporis mihi desunt vires. Veniam a lectoribus humanissimis etiam atque etiam obsecro.

Hoc opus, quod confeci, sane haud facile, sed ob inusitatum longis ab annis idioma, difficillimum extitit.

POSTHUMA ADNOTATIO.

In edicto illo, quod ex jussu FERDINANDI P. F. A. Eques Torquat. **N. Santangelo** a secretis interiorum regni negotiorum vir clariss. perfectiss. an. CIƆIƆCCCXXXIX protulit de creand. R. Studiorum Universitatis antecessoribus, ubi de certaminum ad cathedras adsequendas regulis pertractat, haec habentur.

« Scripta (extemporalia) rite collecta praelo » dabuntur candidatorum sumptibus, ac deinde a » certaminis magistris expungentur atque dijudi- » cabuntur ».

Nihil in lege aliud — Praxis porro, quam I. M. *Mazzetti* Sel. Archiep. regni e XXIV viris Consultoribus unus, ac publicarum omnium disciplinarum Praefectus humaniss. induxit, hanc tulit methodum; ut L tantum operum exemplaria R. Universitatis a secretis viro tradantur, atque sigillo obsignata, et mendis, quae forte in scripta irrepserant, relatis in lucem proferrentur.

Ego et legem praximque sequutus L ea obsignanda tradidi exemplaria mendis haud deletis.

At popularem non cupiens vitare sententiam, imo plebiscitum quaerens, utpote praetorium edictum, de re potius quam de verbis, alia quaedam libri exemplaria in lucem prodidi mendis admodum correctis.

Quod ut bonum faustumque sit, neque mala

confectum fide aliquis arbitretur, menda quidem ipsa palam facio.

Ea non turpem ob ignorantiam, crassamque minervam, sed temere in liberculum tam festinanter ac trepidante manu exaratum irrepsisse facile unusquisque videbit.

pag.	3	scripsi *affectis* corrigere par fuit	affectibus
»	5	et passim alibi *praetium*. . . .	pretium
»	7	*me non inficior*.	non inficior
»	8	*quae*.	qui
»	9	*traductorem*.	traductoris
»	9	*accipitur*.	accipiatur
»	13	*suspicior*.	suspicor
»	14	*benemerentissimi*.	benemerentissimus
»	17	*illa*.	illam
»	18	*deterriti*.	deterrita
»	40	*civitatibus*	civitatis ab
»	21	*decimiseptimi* legatur	decimioctavi

Praeter haec, si quae habentur alia, nescio. — Verba aliqua typographus omisit.

Docti autem VIviri de certamine dijudicaturi, quos honoris gratia nomino, hi sunt.

Equ. V. Flauti math. prof.

Bar. P. Galluppi Equ. philos. prof.

Equ. F. M. Avellino jur. rom. prof. atque causs. patron. et R. Musaei Borb. Praefectus Facult. Dec.

U. I. D. H. Papinianus Pugnetti jur. rom. antec. et Censorii Patron. Conlegii XVvir.

A. Saliceti Jur. civ. antec. et civ. Praetor. Iudex.

R. D. Cutillo jur. nat. prof. Fac. Canc.